



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

44. Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à Deo solo est non quæritis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

opera damnat. Si non nisi hortatur ad bona opera, quomodo damnat facientes mala? Rursus fides quæ iustificat, non solum cum studio bene viuendi est coniuncta, sed etiam cum ipsa bona vita, bonaque operatione: iuxta illud Pauli, *Fides qua per dilectionem operatur*. Fides sanè Calviniana non operatur dilectionem, sed studium operandi docet absque effectu, ac per hoc non est fides Evangelica quam Paulus commendat. Piorum quoque omnium fiducia non in sola Dei misericordia quiescet, sed etiam in bona conscientia: iuxta illud Ioannis; *Si cor nostrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus apud Patrem, &c.* Qui cum mala conscientia de Dei misericordia fiduciam concipit, non cum fiducia, sed cum præsumptione ad Deum accedit. Vnde iterum Ioannes: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. At minus est nosse Deum, quam in eo fiduciam habere. Et rursum: Nunc filioli manete in Christo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam; & non confundamur ab eo in aduentu eius.* Quid est autem manere in Christo? Explicatè docet in sequentibus: *Qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo.* Si ergo ille demum fiduciam habet, & non confunditur in aduentu Christi, qui mansit in eo, mansit autem in eo qui mandata eius seruauit, inuictè contra Calvinum sequitur, non in sola Dei misericordia, sed in mandatorum obseruatione, hominis iusti fiduciam quiescere. Nam & illorum quoque obseruatio ex Dei misericordia nascitur, quæ gratiam dedit qua seruarentur. Quare Paulus hac usus bonorum operum fiducia ita scribit. *Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruauit. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die (sanè, quando procedet, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ) iustus Iudex: non solum autem mihi, sed & illis qui diligunt aduentum eius: id est, qui ita vixerunt in sanctitate & iustitia coram Deo, ut venientem Iudicem non timeant condemnaturum, sed diligant ut remuneraturum.*

Gal. 5.
Fides Calviniana non est fides Evangelica.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 2.

Fiducia in bonis operibus.

2. Tim. 4.

44. Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à Deo solo est non queritis?

Vera huius loci expositio duo nos docet. Primum, hypocrisis & falsam pietatis affectationem maximum esse obstaculum ne quis in Christum credat, fide videlicet

Hypocrisis magnum fidei obstaculum.

viua, & per dilectionem operante. Nam gloriam ab iniuriis accipere, significat velle ab hominibus pro iusto ac sancto haberi; quod proprium erat Phariseorum & Scribarum crimen, quos hinc potissimum alloqui Christus videtur. Cum enim lumen fidei intellectum non conuincat sicut axiomata per se nota vel demonstrationes scientificæ, ideoque credere sit actus voluntatis non secus quam intellectus; sicuti quilibet passio exorbitantis voluntatis impedit intellectum, sic hypocrisis quæ à sola hominum exultimatione pendet, & gloriam quæ à solo Deo est non quærit, id est, vero pietatis studio non incumbit, vt coram Deo & in iudicio Dei laudem accipiat, vel maximum impedimentum est. Talis enim non attendit quid ad credendum proponatur, sed quomodo suam apud homines exultimationem tueatur.

Opera pietatis laudem habent apud Deum.

Alterum est, quod vera pietas apud Deum gloriam habet. Illa enim opponitur hypocrisi, quæ gloriam quæ à solo Deo est, quærit: vbi duo docet Christus. Primum, à solo Deo laudem apud Deum veram pietatem laudari, & in pretio esse: secundo, hanc apud Deum laudem per opera pietatis quærere & affectare nos posse. Totum enim hoc in Iudæis reprehendit Christus, quod non quærerent nec affectarent illam gloriam quæ à solo Deo est, id est, ex vero pietatis studio veram gloriam & laudem apud Deum. Quod contra hæreticos obiter uandandum est, qui ex pietatis studio & bonis operibus nullam apud Deum laudem aut gloriam haberi posse contendunt.

Christi totam sententiam Caluinus inuertit.

Quam etiam ob causam totam Christi sententiam inuertit Caluinus, sic in hunc locum scribit. *Hæc sola est vanitas quæ nos inflat, praua confidentia, dum nostro & aliorum peccatis quàm Dei iudicio stamus. Nam qui Deum verè iudicem proponit, necesse est vt fractus & prostratus concidat. Ergo qui gloriam à solo Deo quærat, necesse est pudore sui confusum ad gratuitam illius misericordiam cõfugere. Et certè qui Deum respiciunt, damnatos se ac perditos vident, nec quicquam esse reliquum in quo gloriantur præter Christi gratiam. Hæc ille. Totam Christi sententiam inuertit. Quod Christus dixit contra hypocrisim & ementitam pietatis imaginem, quæ à hominibus laudẽ captat, pro vero pietatis studio quod apud Deum solidam laudem habet, hoc Christum dicere vt contra verum pietatis studium quod coram Deo nullam nec vllam laudem habeat, quia qui gloriam à Deo quærit necesse est, pudore sui confusum, id est, non nisi turpitudinis suæ conscius, ad gratuitam misericordiam confugere. In*

fenfum elicit Christi verbis planè contrarium. Sed Christum hoc loco contra hypocrisim, quæ vera virtute caret, loquutum fuisse, & verum pietatis studium, quod coram Deo laudem habet, commendasse, præcedentia eius verba manifestum faciunt, vbi dixit: *Cognoui vos quia dilectionem Dei in vobis non habetis.* Vbi iterum causam docuit cur scrutando Scripturas in eum credere noluerint; quia videlicet nullam dilectionem Dei habebant, Deo placere aut seruire, in oculis Dei iusti ac sancti esse, non curabant: hominum gloriam & existimationem diligebant, &, vt hîc loquitur, *gloriam ab inuicem accipiebant.*

IN IOANNIS CAP. VI.

27. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.*

FVNDAMENTVM hoc est disputationis Christi futuræ, ideòque dexterè & accuratè intelligendum. Auocat eos à studio corporalis & vulgaris cibi, ad studium & acquisitionem alterius cibi quem ipse daturus erat: non illud prius simpliciter prohibes, sed hoc posterius ei antepone. Cibus de quo hîc loquitur, eundem esse de quo postea dicit, *Caro mea verè est cibus,* & Christi carnem nobis in Sacramento exhibitam, docent hoc loco Augustinus tract. 25. & Cyrillus libro 3. cap. 28. verba etiã adiuncta hoc confirmant. *Hunc enim Pater signauit Deus.* Non enim erat cur hanc humanitatem diuinitate sigillatam ei que vnitam inferret, nisi quia docere voluit quomodo caro eius in cibum data vitæ æternæ cibus futurus esset, nempe quia diuinitati coniuncta & vnita esset. Hæretici, vt doctrinam hîc de Sacramento penitus corrumpant, verbis hîc Evangelicis vim faciunt. *Cibus vocat* (ait Calvinus) *quacunque ad vitam nouitatem pertinent.* Scimus autem animas nostras pasci Evangelij doctrina, dum in nobis est efficax per Spiritus virtutem. Ergo quum fides sit anima vita, quacunque fidem alunt & promouent, cibo comparantur. Est aperta diuinæ Scripturæ corruptio. Quum enim Christus in sequentibus exponat inter opera Dei quæ operari oportet vt hunc cibum comparemus, esse ipsam fidem vt credamus in eum, manifestissimum est fidem à cibo distingui. Deinde cibus, de quo Christus loquitur, est quem ille daturus erat, non quem nos

Fides à cibo quem operari oportet distinguitur.